



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Maleficio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

vana obseruantia Sanchez loc. cit. cap. 40.
Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 5. p. 4. Filliuc. loco
cit. cap. 6. Tolet. lib. 4. cap. 16.

De Maleficio.

10 **V**Ltima species superstitionis
ponitur esse Maleficio. sed
hæc facile reduci potest ad primam,
nempe ad Magiam: est enim Malefi-
cium, cum aliquis arte o.m fa-
cit, vel dicit aliqua ad nocendum alijs.
Quare quæ diximus de Magia, quantū
pertinet ad peccatum superstitionis,
possunt huc transferri: solum enim dif-
ferre possunt, quia potest esse Magia so-
lum ad mira quædam facienda, etiamsi
alijs non noceant: Maleficio verò est
ad nocendum. Solet etiam dici Venefi-
cium: vnde habet etiam adnexum pec-
catum iniustitiæ, sicuti etiam & aliæ su-
perstitiones habere possunt, & potest et-
iam esse ad turpem amorem, qui est ma-
lum spirituale, & interdum etiam tem-
porale proximi. Ex quibus omnibus
constat, has omnes species superstitionis,
in ratione superstitionis, habere
malitiam ex vno capite, quæ includunt

pañtum cum dæmone, & commercium cum ipso, & consequenter aliqualem ipsius cultum: licet in materia differre possint, & in fine, vt initio monui. Potest etiam coniungi hæc vana religio cum indebita tractatione rerum sacrarum, præsertim Sacramentorum: & tunc, etiam ex hoc capite, erit nouum sacrilegium, omnino explicandum in confessione, & grauitatem rei.

11 Vbi etiam aduertendum est, quod non est licitum maleficium soluere alio maleficio: posset tamen comburi statua illa, vel res, quæ interdum fit à malefico, si in tali combustione non intercedat vllum pactum cum dæmone. Ad hanc speciem reducuntur Lamix, seu Stryges, quæ dici solent (Streghe ô Fatucchiare) & quicumque quocumque modo, aut sine habeat commercium, & pactum cum dæmone, & illum veneretur, aut colat ad nocendum, vel quodcumque aliud peragendum.

12 Qui scit aliquem esse Magum, vel Maleficum quocumque modo ex dictis; tenetur illum reuelare, vel Prælato, vel Inquisitoribus: quia semper hi sunt

sunt suspecti in Fide. Agunt de Maleficio *Suar. loc. cit. cap. 6. & 17. Filliuc. loc. cit. cap. 8. Sanch. loc. cit. cap. 41. Bonac. loc. cit. punct. 5. Tolet. loc. cit. cap. 16.*

De Blasphemia.

13 **P**Eccatur etiam contra hoc primum præceptum per blasphemiam. Est autem Blasphemia conui-
cium, vel dictum, vel maledicentia contra Dei laudem, & honorem ei debitum: & aliquando est coniuncta cum hæresi, aliquando non, iuxta supradicta. Potest autem esse, Primò per modum enunciationis: ut cum negatur de Deo id, quod est, vel affirmatur id, quod non est, ex prauo voluntatis affectu: ut si quis diceret, iniustus Deus, etiam si id non ita credatur esse. Secundò per modum imprecantis, vel detestantis: ut maledictus Deus, ad despectum Dei, Huc reducuntur blasphemix illæ ordinariæ, per sanguinem, vel corpus Dei, &c. quando non sunt verè iuramenta, sed quodam iræ impetu dicuntur in virtutalem aliquem Dei, vel Christi Domini contemptum.